





1797.

3

1727, 23.

*de laudibus Fevdorum.*

D. GEORGII CHRISTIANI  
GEBAVERI  
ORATIO

CVM

AD FEVDORVM JURA  
PVBLICE INTERPRETANDA  
ACCEDERET.

LIPSIÆ MDCCXXVII. XXIV. SEPT.

*Acta in H. Johannis Augusti Vitz  
Jura Fevdorum.*



D. GEORGI CHRISTIANI  
CEBARI

ORATIO

AD FIDELIUM JURA  
PUBLICE INTERPRETANDA

ACCEDUNT

—————

MDCCCLXXIII

*[Faint handwritten notes or signatures]*





**Q**uanquam eorum, quæ ad consequendam differendi facultatem natura solet subministrare, nihil facile mihi negatum est; multum quoque operæ in ipsa dicendi exercitatione olim consumsi: hunc tamen locum, hac die, cum insigni quadam mentis commotione & non absque verecundia conscendi, quod, præter publici Doctõris provinciam, quam recte curare & pulcre efficere, iusti studiorum nostrorum æstimatores fatebuntur, esse rem, & laudis & difficultatis laborisque plenissimam, etiam Oratoris persona a me suscipienda est, scripta nempe more Majorum epistola, in qua, munus novum me ita exorsurum esse, aliquam feci expectationem. Sed no-  
stis, *Auditores*, quam hoc sit arduum, hac in-  
p

A 2

mis

mis tempestate, qua illo divino munere pene excidimus; neque enim omnem loquentiam dixerimus Eloquentiam: nec quemcunque de re quadam ornate verba facientem, Oratorem, cuius, si magnum Magistrum TULLIUM auscultamus, (a) officium est, dicere apposite ad persuadendum, finis est, dictione persuadere. Unde idem oratorum summus, Græci etiam sapientis auctoritate adhibita, ARISTOTELES, inquit, *qui huic arti plurima adjumenta & ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari Rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, judiciali. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certæ personæ laudem aut vituperationem. Deliberativum est, quod, positum in disceptatione & consultatione civili, habet in se sententiæ dictionem. Judiciale est, quod positum in iudicio habet in se accusationem & defensionem, aut petitionem & recusationem. Et quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars & facultas in hac materia tripertita ver-*

*faci*

(a) Libro de Inventione 1. c. 5.

*sari existimanda est.* Hæc sunt CICERONIS, cuius purpuræ pannum MELANCHTHONIS, (a) genus aliquod didascalicum vel didacticum ja-ctantis, affuere, ego quidem non ausim. Jam vero, nullus est amicorum meorum, de cujus capite anquiratur, ne Archias quidem, quem, exposita humaniorum literarum laude, defendam. Neque Catilinam novi, qui reipublicæ insidietur, aut Verrem, quem repetundarum postulem, ne Antonium quidem, quem Philippica eloquentia jugulem, & esset præterea tota hæc disputatio cum ab hoc loco, tum a nostro foro aliena, in quo, nobilissimum Advocatorum ordinem gloriosæ vocis munimine non amplius confidere, pervulgatum est. An vero de lege ferunda, de pace, de bello vel suscipiendis vel omittendis ad Vos referam? An, quid Hispaniarum Regi ab armis ægre discedenti, quid Augustissimo Cæsari, cui Indica commercia curæ sunt, faciendum sit, deliberabo? Habet hoc genus in se, ut audivimus, sententiæ dictio-

A 3

nem,

(a) v. Ill. THOMASIVM in den Noten zu D. Melch. von Osse Testament, pag. 331.

nem, quam ego, homo in umbra academica constitutus, aut perperam dicam, aut, si recte dixerō, magni illi Principes ignorabunt, aut, si forte fortuna resciscent, suaviter ridebunt, partim quod non rogatus a consiliis fuerim, partim quod juris regulis finiri posse id negotii credam, quod utilitate, iusti prope matre & æqui, maxime regitur. Sunt denique in hominibus, sunt in moribus multa, quæ summam vituperationem merentur. Sed quod ad hos attinet, corrumpere & corrumpi seculum vocatur, &, ubi malum nimium excrescit, alia medicina, quam oratoris etiam eloquentissimi vox, adhibenda est. Hominis autem publicum vituperium, & legibus est interdictum, & a meis moribus abhorrens, & hujus diei tam læta mihi solemnitate indignum. Ita ad laudationem me redactum esse video, quæ offendit neminem, sæpe amicos parat, & est, si adulationis & mendacii contagio non læditur, res omnium innocentissima.

Quid vero laudaturus, habeo prius, quid antiquius **JURE**, maximo illo munere humano generi  
divi-



divinitus concesso, & cum sint illius variæ & laudatissimæ species, ea in primis Jurium parte, eaque Prudentia, quam ex hoc suggestu publice docere, literis Principalibus jussus sum. Nullus dubito, splendidam hanc *doctissimorum Academia Civium* coronam non mei causa unice tam frequentem huc confluxisse; etsi decoris hujus atque honoris partem omnino aliquam mihi modeste sumo, & insigne beneficium interpretor; sed artis quoque, quam in posterum profitebor, scientiæque nobilissimæ gratia: quod si est, ut esse confido, in nullam aliam rem majori cura atque industria mihi incumbendum est, quam ut hanc eximiam in Feudalia Jura propensionem foveam, studium laudabile excitem, animos incendam, & ad hanc etiam legitimi operis partem strenue perficiendam omnibus modis cohorter, & quantum possum, urgeam atque impellam. Hoc autem rite a me fieri non potest, nisi Vobis prius exoratis, *Rector Academiae Magnifice, Illustrissimi Comites, utriusque Republicæ Proceres gravissimi*, velit etiam Vos  
me

me audire patienter: non quod existimem, digna Vobis, aut antea ignorata, me esse prolaturum; qui enim id possem in hoc Eruditissimorum Virorum confesso? sed ut, præter honorem insignem, quem mihi eo ipso habebitis, hac auscultandi patientia, in ea, quæ ad hos dicturus sum, verissima, gravissimi Auctores mihi fiatis.

LAUDATURUS FEUDORUM JURA, eorumque Prudentiam; primum dico præfiscine, nihil eo ipso me velle detractum aliis Juris partibus, quarum etiam publicos Interpretes longe celeberrimos assidere video; utpote quæ, post omnes Feudorum laudes in unum congestas, nobis omnibus sunt manentque pariter commendatissimæ: deinde moneo, quæ ad Juris universi laudationem generatim dici possunt, studio me prætermisurum esse, ut mea oratio, si alia re nulla, brevitate tamen sit commendabilis; denique rogo, ut purioris sermonis studiosi vocabulorum nonnullorum, inter quæ ipsum *Feodi* nomen est, Latio prorsus ignorantium,

torum, gratiam mihi faciant, quod ea antiquis  
vocibus commode reddere nequeamus, & ea in  
re vetustatis quoque exemplis non prorsus de-  
stituiamur. Hæc, si tenetis, si mihi datis, quod  
institui, nunc exsequar alacriter.

Uti est quædam inter homines a natura con-  
stituta cognatio & veluti universitas, ita in am-  
plissima illa totius humani generis societate alia  
minores, naturali magis quam civili ratione col-  
ligatæ, continentur, inter quas in primis illæ emi-  
nent, in quibus insignis hominum multitudo,  
iisdem majoribus edita, patria communi con-  
jungitur. Hujus naturalis vinculi potestas non  
rectius intelligitur, quam quando ii, qui in longin-  
quis peregrinationibus versantur, casu incidunt  
in quem, suæ gentis hominem; tunc in mu-  
tuos ruunt amplexus, omnia summæ lætitiæ si-  
gna edunt, & si res fert aut postulat, se invicem  
exquisitissimis officiis prosequuntur. Rationem  
ejusmodi conjunctionis aliam reperire non  
potui, quam, quod naturali & ingenito affectu  
amamus & nos, & nostra, sermonem nostrum,

III

B

cultum

cultum nostrum, mores nostros, instituta nostra; amamus hæc in nobis, amamus in aliis; eadem, ut bona ac præclara, in posteris etiam nostris perdurare, enixe cupimus; spernentes forte nostra, vicissim spernimus; eos, qui illorum quid externa vi etiam immutatum volunt, hostes judicamus perniciosissimos; cui persuasione, si jungas cognationum affinitatumque caritates, quibus veluti totidem nodis omnis civitas connectitur, habes, ni fallor, fontem decantissimi in patriam amoris, pro qua ipsam vitam profudisse, multis etiam dulce visum est. Inter hæc, quæ nostra credimus, & merito diligimus, nihil est, quod magis sollicitè custodiri debet, quam Leges Patriæ, partim quod domestica jura, multa majorum prudentia constituta, ad mores hominum, gentis statum, & civitatis finem sint conformata, a quibus peregrina plerumque multum absunt; partim quod omnium gentium consensu comprobatum sit, legibus suis uti, esse libertatis caput; alienas pati, duræ servitutis speciem. Ergo mihi semper indecorum

rum & Germanico nomine indignum facinus  
 visum est, quod Jura Romana, quorum jugum  
 a Quinctilio Varo superinjectum fortissimi ma-  
 jores nostri Arminio duce tam feliciter depule-  
 rant, (a) a posteris, illius scientiæ gratia etiam  
 exsulibus factis, (b) ex Transalpinis Academiis  
 sint allata, &, post multam cum moribus Sca-  
 binisque patriis dimicationem, nostræ genti ob-  
 trusa, etfi eadem, cum suæ civitatis natura col-  
 lata, sint omnino præclara, & apud nos quoque  
 eo minus loco, in quo consistunt, depellenda,  
 quod ea diuturnus utentium consensus, & Prin-  
 cipum nostrorum patientia civitate dudum do-  
 narint. Eadem peregrinitatis nota laborat  
 utriusque Juris alterum, Canones puta & De-  
 cretales Epistolæ, non sui præstantia, non con-  
 ditorum sapientia, non legitimi Principis aucto-  
 ritate, quibus omnibus Romanum etiam Jus  
 longe anteit, sed sola acceptionis antiquitate apud  
 nos commendabile. Et ita nobis longe commen-

B 2 dati-

(a) FLORUS l. IV. c. 12.

(b) Auth. Habita. C. Ne Filius pro Patre.



datoria sunt Feudorum Jura, quod patria, quod domestica, quod nostra: quæ extra illos celebratissimos Germaniæ fines, Renum, Danubium, Vistulamque, ut opinor, inter majores tamen nostros nata, mox in patriam traducta, educata ibidem, fota, culta, expolita in peculiarem tandem prudentiam adoleverunt. Non reor, affore quenquam, tam expertem antiquitatis, ut mihi, hæc dicenti, apud animum suum objiciat: Feudis non mitius fatum quam Allodiis contigisse: hæc moribus equidem Saxonis & Alemannicis Principumque novis constitutionibus simul & peregrina Civilis & Canonici Juris auctoritate regi: illa, præter consuetudines patrias, legibus non minus alienigenis, Longobardorum placitis, obsequi. Non reor, inquam, ignorare quenquam, Longobardos, populum late patentia ad Albim æquora inhabitantem, transiisse in Noricum, mox perruptis Alpibus in Italiam penetrasse, ibique Rugia forte & Herulica, saltim Ostrogothica beneficia invenisse & suis egregie auxisse. Ipsum *Longobardorum* nomen originem

originem

ginem suam loquitur, & *Feodi* vox, & reliqua Juris Longobardici vocabula: *Vasallus*, *Investitura*, *Felonia*, *Morganatica*, *Marchia*, *Guardia*, *Gastaldia*, *Soldata*, alia, non aliunde, quam ex sermone vernaculo derivanda. Hæc tam vera sunt, ut qui negare aufit, idem affirmet necesse est, ubi flumen vi divina in duos alveos scinditur, & infra iterum unitur, antiquum alveum ex novo non suas aquas, sed prorsus alias, & peregrini fluminis undas accipere; lepido forte colore usus, quod illæ aquæ discretæ longius fluxerint, aut, quod, in nova tellure decurrentes aliquid limi, ut placita Germanorum in Lombardia, aliquid peregrinitatis, secum traxerint.

Quid Vos ad hæc, *Carissima Capita*? An Vos quoque peregrinarum rerum amore faucii ad patrias nauseatis? Absit tantum dedecus; rectius Vos novi; generosæ mentis est, aliena nosse, iis delectari, &, ubi opus est, uti; patria autem maximi facere & impensissime diligere; micat sub pectore vestro absque dubio, & in præcordiis calet sanguis, quem iis ipsis majoribus,

ribus, qui hæc instituerunt, debetis; iis, inquam, fortissimis majoribus, qui, sui moris ex merito tenacissimi, ad hanc per manus traditam disciplinam, tenendam & servandam, suo maxime exemplo, nisi degeneres dici malitis, cottidie vos incitant & instigant. Et ad quam, quæso, disciplinam? tetricam forte aliquam & horridam? aut injucundam saltim & sterilem? minime gentium, ad disciplinam, si qua est juris nostri, longe jucundissimam. Omnis delectatio ex varietate est: non pratorum facies ulla elegantior apparet, quam quando diversicolore florum ornatu convestita sunt: non horti magis placent, quam qui amœnissimo naturæ & artis certamine diversissimas visiones curioso oculo objiciunt. Jam vero sive multiplices vasalorum ordines inspicias, sive ad pacta Feudis leges dantia prope infinita animum advertas, sive servitorum diversissima genera spectes, sive rerum in Feudum concedi solitarum innumeram copiam perpendas, sive eximium cerimoniarum Feudalium apparatus intuearis, sive denique omnem



mnem feudorum aliis quam plurimis ex causis  
secum diffidentium exercitum lustres, tanta se  
ubique prodit varietas, ut major esse non pos-  
sit. Præterea Juris nostri Feudalis doctrina non  
de servitutibus & stillicidiis, non de rivis & clo-  
acis, (a) sed de prædiis militaribus, de latifundiis  
equestribus, de Baronum, Comitum, Princi-  
pum, Ducum amplissimis possessionibus tradit;  
de his loquuntur leges nostræ, de his exoriuntur  
causæ, eo jure finiendæ, cujus a me lauda-  
tio suscepta est.

Non opinor, auditam esse unquam vocem  
ullam, quæ magis ad nostræ gentis laudem &  
decus faciat, illa, qua Frisiorum Principes Ver-  
ritus & Malorix in theatro Pompeji locum  
inter Patres Conscriptos dignissimum sibi vindi-  
carunt: *Nullos mortalium armis aut fide ante  
Germanos esse.* (b) Hæc vox, quam vera, tam  
magnifica, luculentius explicari nequit, quam o-  
omni

(a) *In eundem fere sensum loquitur CVNR. RITTERS-  
HVSIVS Juris Civilis cum callentissimus, tum aman-  
tissimus in Partit. Feudalibus p. m. 10.*

(b) *TACITVS Annal. XIII. 53.*

omni feudorum habitu excusso. Artissimæ enim hujus societatis militaris unum validissimumque vinculum est, mutua inter Seniorem & Vassum fides, & fidei hujus tot seculis sanctissime servatæ finis antiquissimus & præcipuus, sunt armata opera, & militaris gloria, nostræ genti omnis dignitatis nobilitatisque fons & origo.

Commodum in nobilitatis mentionem incidi, quæ, uti in suos dispersita ordines, minor, media, maxima, tot ornatus lectissimi clypeis galeisque coruscans, titulorum excellenti varietate splendida, antiquarum imaginum longa ferie illustris, summum nostræ reipublicæ conciliat decus, ita ob intimam militarium clypeorum nobilium & feudalium cognationem absque nostræ prudentiæ ope recte intelligi nequit. Et vos nondum movemini, *Generosissimi Juvenes, illustrium familiarum summe spei propagines?* nondum subit mentem cura noscendi vel gentis vel ordinis vestri origines? nondum fert animus, pulverulentas vetustarum investiturarum literas cum voluptate excutere? nondum in-

cen-

cendimini ad strenuam Juri nostro navandam operam? Aut fungus plane sum, aut mihi injurato creditis, inter omnes Jurisprudentiæ partes, hanc Vobis, *Juvenes Generosissimi*, esse propriam, & veluti peculiarem. Vos autem, *Juvenes Doctissimi*, qui non nobili, ingenuo tamen sanguine creti, per literarum gloriam ad præclara grassamini, summa non minus ope atque alacri studio Feudalia Jura accipite, & Vos sic eruditos ostendite, ut spes Vos pulcerrima foveat, posse rempublicam in partibus vobis quoque credendis gubernari. Atque utinam mortalibus fas esset, mente venientem aetatem præcipere; remoto ego velo, quod futura contegit, forte monstrarem digito, ex his, qui me nunc audiunt, hunc aliquando magni Principis sacratissimum tabularium curaturum; illum in Feudalibus curiis judicem amplissimum causarum maxime arduarum dubia diremturum; istum, ut Prudentem, respondendo de jure nostro, rem & nomen sibi facturum; alium denique ex istis, ad magis excelsa contendentem, ipsos illos clypeos galeasque promeriturum. Si qui sunt, qui juris pu-

C

blici

blici doctrinam unum solumque stadium putant, in quo nobiles decurrant, quod ad meliora nati teneant; nã illi errant, & quidem vehementer errant, duorumque alterum efficiunt, aut juris publici peritum maxime necessaria ignorantem, aut Juris Feudalis prudentiam mancam prorsus & mutilam. Indolem gentis, dignitatum origines, ordinum diversitates, vasallorum incrementa, seniorum immutata dominia, Feudorum immediatorum, mediatorum, ecclesiasticorum, secularium, regalium, non regalium, immo & Imperii Allodiorum naturam, & illius vinculi, quo in imperio nostro membra capiti junguntur, partem nobilissimam; hæc, inquam, omnia exactius novisse, illius maxime interest, qui in jure publico versatur; docuisse est eorum, qui Jura Feudalia profitentur, ex quo simul constat, nostri studii esse & amplitudinem insignem, & haud levem difficultatem. Sed en! audire mihi videor aliquem ex turba, dicentem: Tu vero

ro

ro difficultatem inquis, hoc tacuisse oportebat, ne, quos excitare cupis, eos ipse studii, quod laudas, efficias desertores. Sed nihil muto, ipsam difficultatem veram in laudem, si potero, nec quicquam callide dissimulabo.

Ad genuinum Juris Feudalis consulti apiscendum decus, necessaria est Juris, cum Civilis, tum Feudalis, Francici, Saxonici, Alemanici, Longobardici, Peregrini, Provincialis insignis notitia; patriæ linguæ, & ejus dialectorum, filiarumque eximium studium; historiarum, & nostræ gentis, & illarum omnium, quæ a nobis profectæ sunt, scientia haud vulgaris; diplomatum denique, tabularum, chartarum omnis ævi indefessa lectio, quæ uberius a me collaudari debebat, nisi meminissem, *Illustrem hujus Academiae Antecessorum Primicerium* ante aliquod tempus re n tam laudabilem, tam utilem, ex hoc ipso loco, & quidem facundissime commendasse. Paucis verbis laborem immensum complexus sum, ad quem,

C 2

ut



ut, *Doctissimi Iuvenes*, intrepide vos accingatis, vos adhortor, vos, inquam, quos tantum abest, ut rei difficultate absterreri posse existimem, ut potius verear, ne injuriam haud levem habeatis, si, vestro ingenio diffusus, ipsam operis impigre fuscipiendi magnitudinem vos celarem. Quæ ardua sunt, pulcra sunt; ad pulcritudinem autem, per medias molestias, natura agimur. Fingamus, quæso, montium excelsissimum exstare jugum, ex quo latissime peti potest prospectus longe jucundissimus; fingamus porro, pictorem forte, aut alium ejusmodi voluptatis, quæ omnino eximia est, percupidum in montis radicibus jam consistentem offendere Tityrum quem patulæ sub tegmine fagi otiose recumbentem, a quo ille de ascensus difficultate, itineris tædio, anfractuum longitudine, semitarum solitudine, præcipitiorum periculis, apicis altitudine gravissime præmonetur. His ignavis vocibus illum, si sapit, commoveri, ut pedem referat, & spectaculo isto sibi interdicit, effici posse credam? Non, si ipse sapio; nec vos, si sapitis. Ita Feudalis

dalis prudentiæ quoddam veluti jugum est, edi-  
 tum sane, & in quod non absque molestia licet  
 eniti, qua tamen devorata, mirifica statim volu-  
 ptate perfundimur. Est illud jugum non ubi-  
 que præruptum, sed multis in locis satis accli-  
 ne; licet in eo itinere sæpe consistere, & reci-  
 pere spiritum; aliquam etiam montis partem  
 ascensu superasse, jam in laude positum est; cacu-  
 men summum, ut in aliis rebus, tenuit nemo.  
 Sunt, fateor, loca multa inhospita, horrida,  
 squallida, falebrofa, sed debilem talia frangunt  
 animum, tu contra audentior ito, celebranda  
 sunt nullius antea pede pressa, cultu mitiganda,  
 quæ horrent, & quidquid squaloris, quidquid  
 falebrarum viam impedit, improbo labore emen-  
 dandum. Juri Romanorum Civili tam benigna  
 obtigere fata, ut in eo illustrando maximorum  
 ingeniorum apud cultiores gentes fuerit con-  
 cordia summa atque conspiratio; ad Jus Feuda-  
 le pro dignitate explicandum pauci cum laude  
 accesserunt, ut adeo illud patentissimum capien-  
 dæ adoreæ campum non immerito dixerim.

Agite itaque, *o Mei*, datum est signum, procurrite expediti, tentate aditus, explore latebras, glomerate gressus, quid statis? desideratisne ducem. En! me omne studium, omnem fidem vobis offerentem, & quod majus est, Auctori- tate Regia publice huic muneri præfectum. Scilicet placuit *Serenissimo atque Potentissimo Principi ac Domino, Domino FRIDERICO AUGUSTO, Poloniarum Regi, Saxoniae Electori, Domino meo longe clementissimo*, placuit, inquam, *Regi tam juris religiosissimo quam victis hostibus triumphatori magnifico* hoc Jura Feudalia publice docendi munus in hac Academia ante plures annos constituere, Viris Doctissimis commendare, & Decessoris mei ex hac Alma discessu vacuefactum, nuper admodum in meos humeros transferre. Nova nunc atque longe prolixior a me inchoanda esset oratio, si *Maximi*

*mi*



*mi Principis* virtutes & res domi forisque  
 præclarissime gestas digne collaudare, quam est  
 animus & prompta voluntas, tam facile possem.  
 Sed cum omnino mihi metuendum sit, ne ejus,  
 quod in me est, ingenii culpa, *tanti Herois*  
 laudes deteram magis quam amplificem, intra me-  
 am me tenuitatem coercebo, & qua licet, qua pie-  
 tas jubet, progrediar. Ad Divinam Majestatem  
 conversus, *Regi Augustissimo* precor vi-  
 ridem senectam, domum tutam, regnum tranquil-  
 lum, perpetuam felicitatem, quod votum breve,  
 sed ex calentissimo profectum affectu, si Deus im-  
 mortalis, cujus clementiæ omne bonum merito  
 acceptum referimus, ut rogamus, ut speramus,  
 annuet, Bene Patriæ communi, Bene Academiae,  
 Bene Urbi huic, Bene nobis, ut quorum omnium  
 salus illa una *Optimi Principis* continetur.  
 Superest, ut Vos ultimum compellem, *Auditores*  
*Omnium Ordinum Honoratissimi*, qui & honori-  
 ficentissima Vestra præsentia hoc muneris novi  
 initium illustrastis, &, me proletario sermone tra-  
 latitia

latitia dicentem, tamen diligentissime audivistis. Exstant Vestra in me merita, cum multa, tum magna, quæ ordine commemorare, & dignis effere laudibus, nec locus est, nec tempus patitur, nec Vestra mihi concedit modestia. Unum mihi credatis velim, illa omnia atque singula gratissima mente esse apud me reposita, quod tunc demum intelligetis, quando mihi tam felici & fausto esse licebit, ut commodis Vestris mea opera obsecundare queam: eo enim in loco sciens prudensque nullum & diligentissimi & amantissimi hominis officium prætermittam.

*Dixi.*

---

LIPSIÆ, PRELO BARTHELIANO.





Leipzig, Diss., 1727 A-G

X 237 1923





1999.

3

1727, 23.

*de laudibus fevdorum.*

D. GEORGII CHRISTIANI  
GEBAVERI  
**ORATIO**  
CVM  
AD FEVDORVM JVRA  
PVBLICE INTERPRETANDA  
ACCEDERET.

LIPSIÆ cło 15 CCXXVII. XXIV. SEPT.

*An in H. Jofeph's Buchhalt  
aus Leipzig.*

